

Caput decimum.

151

memini reperta fuisse vaporaria & thermas plebeias, murosque “
multos cancellatos, necnon canales plumbeos. Nihil magno “
labore structum. Inventæ sunt item urnæ bene multæ cinere “
plenæ: nam postquam his thermis usi sunt, eas in sepulchra ver- “
terunt, quo tempore comburi cadavera mos erat. “

Nihil dubium videtur thermas istas esse thermas publicas à Rufo & Victore in Cœlio monte memoratas, quando omnia quæ hîc à Flaminio narrantur ad plebeias thermas pertinent.

FLAMINIUS VACCA. Prope S. Stephanum Rotundum in villa Adriani Martyrei, proximè aquæductum, memoria mea deprehensa est statua cum capite Hadriani veste consulari, peritæ manûs; alia item istic statua inventæ, quarum nomen oblitus sum, & tripus æneus pro Sacrificiis. Hadrianum emit populus Romanus: & jam confidet in ædificio Salarum; quibus ascenditur ad aulam consilii publici, *scilicet in Capitolio.*

CAPUT XI.

DIES QUARTA. Cœliculus mons. Templum Dianæ. Sepulchra atque urnæ eruta. Aqua sancta. Fons Egeria Nympha. Ædificium singulare. De Catacumbis S. Sebastiani. De thesauro in Circo Caracallæ eruto. Historia detecti Innocentii VIII. tempore tumuli, integro cadavere. De arcu Recordationis. Thermæ Antoninianæ & vicus ipsis hærens. Templum Minervæ. Mutatorium Cæsaris &c.

DE CURSO Cœliomonte, quartâ die Cœliculum petimus ad Urbis mœnia qua itur ad portam Latinam. Quamquam non una omnium opinio; ita non de templorum modo, ædium atque thermarum; verum etiam de montium situ ambigitur. Ad portam Latinam est Sacellum rotundum in memoriam immitti in ferventis olei dolium S. Joannis Evang. excitatum, atque è proximo Ecclesia eodem nomine pene deserta, jamque Patriarchio Lateranensi attributa. Haud procul Ecclesiâ, ad-